Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2031
Quelle:
Copyright:

4. facile desumas. At longe haec diversa est a nostro Tractatu, qui non in *Sermones* XII. aut potius Apologos dicas, sed in Articulos multos dividitur, quos inter de Missa triste faceti: *Come la Messa è heretica, è una gran' Maga, è una gran' Strega, è una grande Idolatra, è una gran' Meretrice* &c. Nemo porro ejus meminit, ne *Baylius* quidem, qui ceterum lancem, ut solet, saturam de *Ochino* admensus est.

DXXXI.

689 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 56. 4. eleganter scriptus, utque e Theca adparet, quae deaurata et anno MDLII. insignita est, *Ferdinando* I. Imp. oblatus Titulum praefert: *Ad Sacratissimum Rom: Hung: et Bohemiae Regem Ferdinandum &c. De extremorum temporum nostrorum statu. De Antichristo, eiusdemque regno tyrannico et reuelatione, de fine Mundi et supremo iudicio. Liber.* Ita vero ingreditur: *Quod ueteres Romani in magnis reipub: periculis et rebus dubijs, Ferdinande rex optime, fecerunt, ut libros Sibyllinos, quorum quindecim interpretes delectos e ciuitate esse uoluerunt, consulerent, Id temporib: hisce nostris, in sæuissimo furentis Germaniæ tumultu, imitandum nobis esse duxi, ut oracula ea adiremus, et si quid in eis uel consilij uel solatij, ad præsentem usum inuenire possemus, diligenter inquireremus, et inuentum ad Maiestatem tuam perscriberemus.* Laudatis mox prolixe Oraculis *Sibyllinis*, pollicitusque, se *Ferdinando* Antichristum de nomine indicaturum et ueluti digito demonstraturum, disquisitionem e S. Literis, Patribus, Scriptoribus profanis instituit, omnia praedictis Oraculis adcommodando, quorum versione metrica utitur, non *Seb. Castalionis*, sed quam ipsemet cudisse videtur. Atque primum in *Neronem*, eumque in *Mahomete* et *Turcis* redivivum commentatur, Historiam sensim ad *Caroli* V. et *Ferdinandi* deducens tempora, perstringensque passim alios Principes Christianos, quorum agendi ratio Turcis profuit, tum in *Paulum Jovium* acerbe invehitur, quod *plurima in uno duntaxat Elogiorum importune publicato uolumine mendaciter et improbe uulgauerit, Otomanicam Antichristi familiam tantum non in coelum laudibus ferens.* Abusum illum esse gratia et privilegio *Caroli* Caes. Injuriam fecisse *Sigismundo Poloniae, Ludovico Hungariae* Regibus &c. Subdit: *Porro quod bonus iste Episcopus tam scurriliter turcisat, Galliæ regibus iudicio meo ea in re ancillatur, ut fœditatem Turcici eorum fœderis impudentia et uanitate apertissima apud imperitos obuelet* &c. Deinceps ex hoc diverticulo ad *Antichristum* redux Numerum Bestiae *Apocalypticae* 666. ductis e vi literarum graecarum calculis in nomine Imperatoris *Turcarum*